



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 93. Raymundi de Perault Cardinalis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI. cunctatione Ferdinandi animum mutari  
A.C. 1505. speraret, siue quod tempestatu injuria  
 navem conscendere prohiberetur: inde  
 nata est ejus inimicis nova Confalvum  
 criminandi occasio. Hic quidem tum  
 Lopezium de Vergara suum a Secretis  
 Ministrum in Hispaniam ablegavit, ut ab  
 ipso Rex Catholicus de rerum statu in  
 Neapolis Regno edoceretur, eique Pro-  
 Regis sui fides, atque integritas testata  
 fieret. Verum cunctis, iisque splendi-  
 dis Lopezii verbis exigua admodum fa-  
 des adstruebatur.

## §. XCIII.

*Raymundi de Perault Cardinalis  
 obitus.*

*Gall. Christ.* **H**oc anno die quinta Septembris Ray-  
*Gall. purp.* mundus Peraultus Cardinalis, Vi-  
*Aubery hist.* terbii mortalitatem exiit, annos natus  
*Card.* septuaginta. Studiorum cursum in Gym-  
 nasio Navarrico, cujus alumnus erat,  
 adeo felici progressu confecit, ut juxta  
 nonnullorum opinionem ejusdem Colle-  
 gii Doctor creatus fuerit. Inde Romam  
 quo negotio ignoratur, profectus, ab In-  
 nocentio VIII., qui viri merita perspecta  
 habuit, nuncius in Germaniam decernit  
*Chron.* tur ad colligendas pro bello Turcico  
*Spanheim.* Fidelium eleemosynas, minus prospero  
*ann. 1502.* tamen Legationis suæ successu; nihilo-  
 minus



minus Maximiliano Cæsari in paucis ca Sæcul. XVI.  
 rus, ad ejus preces Gurcensis Ecclesiæ, A.C. 1505.  
 cui Santonensem adjunxit, Episcopus  
 renunciatus est: Hic idem in suo in Ger-  
 maniam itinere Cronacii a cujusdam ru-  
 stici Filio bonis suis, ac aliqua parte col-  
 lectæ pecuniæ, residua vero portione a  
 quodam Parocho Friburgensi spoliaba-  
 tur, qua jactura summe affligebatur Ray-  
 mundus, eo vel maxime, quod ab ob-  
 trectatoribus hasce pecunias in alios usus  
 pro libitu distraxisse reprehenderetur: In-  
 terea vero ambo fures comprehensi, cri-  
 menque confessi, debitas furti poenas de-  
 derunt. Anno millesimo quadringente-  
 simo nonagesimo tertio Raymundus ad  
 instantes Maximiliani perces purpura or-  
 natus est: cum vero quidam Canonicus  
 Bambergensis nomine Theodoricus de  
 Monrang impius, ac juratus Clericorum  
 hostis contra eos infamem libellum, cui  
 titulus: *Presbyterorum Passio*, edidisset,  
 illum Cardinalis Norimbergæ pro merito  
 culpæ castigari præcepit. Demum Ju-  
 lio II. mandante Viterbiensem Legatio-  
 nem obiit, ac in grati animi testimonium  
 Collegio Navarrico, eoquod illius alum-  
 nus esset, ut ipsemet fatebatur, Sancto-  
 rum reliquias donavit. Posteritati reli-  
 quit binas prorsus insignes epistolas, quas  
 acutissimis podagræ doloribus affectus,  
 in suo itinere in Germaniam exarravit,



Sæcul. XVI. præterea eorum, quæ Lubecæ, ac in  
A.C. 1505 Dania gessit, historiam concinnavit, nec-  
 non tractatum de sacerdotali dignitate  
 super omnes Reges edidit.

## §. XCIV.

*Filia ex Joanna Archiducissa  
 progenita.*

*Marian. lib.* **M**ense Septembri ad medium vergente  
 28. n. 77. Joanna Regina Archiducis conjux  
 enixa est Bruxellis Filiam, quæ nomine  
 Mariæ insignita, progressu temporis Lu-  
 dovico Hungariæ Regi nupsit. Ferdinan-  
 dus accepto hoc nuncio nulla mora suo-  
 rum Aulicorum quemdam in Flandriam  
 decrevit, qui ob Regiæ Filiae nativita-  
 tem Archiduci, ejusque conjugii officio-  
 sam gratulationem exsolveret. Ipsa  
 hæc Legatio pacificæ compositioni occa-  
 sionem, initiumque præbuit, eamque  
 opportunitatem Archidux in rem suam  
 vertere videbatur, ut hac via Hispaniam,  
 cujus aditus ubique interclusi erant, una-  
 cum Conjuge sua repetere posset: qua-  
 propter ad Regem Catholicum ablegabat  
 Manuelem, Virum inter ceteros fallendi  
 dexteritate longe celeberrimum. Hic fal-  
 so exposuit Ferdinando, quod ejus ho-  
 stes, ut implacabile odium Regem inter-  
 & Archiducem suscitarent, nil intentu-  
 tum reliquissent, ac Galliarum Regi sug-  
 gessit.